



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 1. Exponuntur Auctorum Sententiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81950)

verba. Ut autem intelligatur interrogatio, est advertendum, virtutem Theologicam non in omnibus actibus suis operari, ut sic dicam, quatenus Theologica est, quoad objectum materiale; quia non semper operatur circa ejus objectum, à quo Theologica denominatur, ut cha-

ritas amandò proximum non operatur Theologicè; & sic de alijs. Et ratio est, quia virtus non denominatur Theologica ex adæquata materia, sed ex primario objecto, quod proximè, & perfè attingitur, quod est Deus,

DISPUTATIO IV.

DE OBJECTO FORMALI INCREATO DIVINÆ FIDEI.

126.

POST notionem Theologicarum virtutum in genere, accedimus jam ad earundem explanationem in specie; atque in primis agendum est de fide, quæ basis est, & fundamentum totius Religionis, & sanctitatis Christianæ, de qua fide Trident. sess. 6. cap. 8. ait: *Fides est humane salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis.* Quapropter, licet charitas inter omnes virtutes per se infusas sit prima dignitate, ex illo Pauli 1. Cor. 13. *Majior autem horum est charitas;* fides tamen est ordine prima; neque agimus in præfenti de fide universaliter, & in tota sua latitudine sumpta, quo in sensu contrahi potest ad plura significata pertinentia tum ad intellectum, tum ad voluntatem, de quibus agit Alexander Alensis 3. part. quæst. 64. membr. 1. undecim fidei acceptiones numerans; quamquam Bonaventura in 2. dist. 23. dub. 2. decem tantum agnoscat; Vega autem quæst. 1. de justificatione in principio duntaxat novem; Castro contra hæreses *verbo fides* solum septem. Sorus verò lib. 2. de natura, & gratia cap. 6. tantum duo; quæ omnia, quomodo admittenda, & quomodo rejicienda sint, luculenter expendit Eximius Doctor disput. 1. de fide sect. 1. & nos, quæ necessaria sint ad hujus rei intelligentiam, dabimus sectione sequenti; licet tantum in præfenti agamus de supernaturali fide Theologica, quæ non est virtus supernaturalis voluntatis, sed intellectus, deserviens ad eliciendos actus, quibus præstamus assensum super omnia objectis propter testimonium Dei loquentis, ut diximus tota disp. 2. Quo in sensu comprehenditur habitus, qui est virtus; actus, qui est exercitium virtutis; & objectum, circa quod virtus se exercet: quæ tria sub nomine Divinæ fidei exprimentur in Scriptura. De habitu quidem constat ex Paulo citato, num. 5. de actu ad Hebræos 11. *fide intellegimus apta esse sacula verbo Dei.* De objecto Apocaliphis 2. *Non negasti fidem meam.* Unde Athanasius in Symbolo *Hæc est fides Catholica, quam, nisi quisque fideliter, firmiterq; crediderit, salvus esse non poterit.*

SECTIO I.

Exponuntur Auctorum sententiæ.

127.

SUPpono 1. ex num. superiori malè dixisse Budeum in annotationibus ad pandect. lib. R. P. Gormaz Theolog. Tom. I.

1. de servo corrupto, & Laurentium Vallam lib. 5. *Elegantiarum* cap. 30. hanc vocem *fidem* in rigore, & proprietate latinæ vocis non significare intellectus persuasionem, seu assensum, sed à fidelibus ad hoc significandum esse accommodatam. Malè inquam dixerunt; quia certum est ex usu latinorum, significare assensum intellectus. Sic Cicero lib. 2. de divinari. dixit: *Insanorum vitii non esse adhibendam fidem*, id est assensum; & Virgilius 4. *Æneidum* *Credo equidem (nec vana fide) genus esse Deorum.* quare apud probatos Latinos idem est, habere fidem alicui, ac assentiri dictis ejus, ut Terentius, & alij sæpe loquuntur; atque in hoc sensu loquuntur Philosophi cum Aristotele sect. 18. problem. q. 3. & Theologicum Aug. de Spirit. & litter. cap. 31. lib. de mend. cap. 20. & Epistola 19. ad Hieronymum, Isydoro lib. 8. *Ethimologiarum* cap. 2. Nazianzeno oratione 45. & alijs PP. qui hanc acceptionem desumunt ex Scriptura, præsertim ex Paulo citato num. superiori ad Hebræos 11. ubi etiam ait: *Est autem Fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*; illa quippe vox *argumentum* apertè significat opus intellectus. Similia etiam habentur ad Romanos 4. 2. ad Corinth. 5. & 10. & 1. ad Corinth. 13. ubi propter fidem dicitur, *ex parte cognoscimus.* Exinde

SUPpono 2. non quidem omnes fidei acceptiones, sive univocæ sint, sive Analogæ, sive ad intellectum, sive ad voluntatem pertinent spectare ad fidem Divinam, de qua agimus; sed illam duntaxat, qua Divina fides ex communi usu contracta est ad significandam cognitionem obscuram, & fundatam in auctoritate, & testimonio DEI dicentis; quo in sensu loquitur Augustin. de Spiritu, & littera cap. 31. dicens: *De hac fide nunc loquimur, quam adhibemus, non quam damus, cum aliquid promittimus.* Quare non pertinet ad præfens institutum fides ad voluntatem spectans, & sumpta 1. pro *fidelitate*, quæ est virtus voluntatis præbens constantiam in servandis promissis, & conventionibus; quo in sensu dicitur eatenus fides, quatenus per eam fit, quod dicitur, ut notavit Augustinus Epistola 19. sic sumitur ad Romanos 3. cum dicitur: *Nunquid credulitas eorum fidem Dei evacuabit.*

Neque agimus de fide sumpta 2. pro *veracitate*

128.

129.

tate, quæ est virtus voluntatis ad conformandum dictum cum mente; quo in sensu dicitur Jeremiæ 7. *Perijt fides, & ablata est de ore eorum*; atque Apocalipsis 1. Christus etiam appellatur *testis fidelis*, id est verax; neque sumpta 3. pro *fiducia*, quæ est virtus voluntatis; quo in sensu explicant aliqui illud Jacobi 1. *Postulet autem in fide nihil hesitans*; & Math. 8. *Quid timidi estis modica fidei*; ubi Christus increpat Apostolos naufragium timentes; timor autem fiduciæ opponitur, ut ait Div. Thomas in 3. distinct. 2. quæst. 1. art. 3. ad 5. licet alij cum Eximio Doct. disp. 1. de fide sect. 1. num. 8. probabilius censeant in his, & similibus Scripturæ testimonijs sermonem esse de vera fide, prout est radix fiduciæ timorem excludentis.

130.

Insuper non agimus de fide contracta ad intellectum, & sumpta primò pro quocunque intellectu actu abstractivo; quo relicto extremo opposito alteri assentimur, atque in hoc sensu cap. 2. de prædest. Sanct. dixit August. *Credere est cum assensione cogitare*, & Aristoteles 3. de anima cap. 3. textu 157. dixit: *Opinionem sequitur fides*; & Div. Thom. 2. 2. quæst. 19. art. 6. in corp. *Fides dicitur etiam opinio vehementis*: nunquam autem sumitur pro actu incurivo, sed abstractivo, ut contra Gabrielem, Alessem, & alios docet Eximius Doctor ea citata sect. 1. unde illud ad Romanos 1. *justitia Dei in eo est* (id est in Evangelio) *revelatur ex fide in fidem*, non rectè explicatur, ex fide obscura in claram visionem, sed ex fide, quæ antea erat de Christo venturo, in fidem de Christo, qui jam venit: quare non agimus de fide sumpta 2. pro *conscientia*, seu *judicio practico de agendis*; quo in sensu dicitur ad Romanos 14. *Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est*, id est, quod non est ex conscientia, seu judicio statuente, non esse illicitum, id quod agitur, ut ibidem interpretatur Div. Thom. & docet etiam 1. p. quæst. 79. & 1. 2. quæst. 19. art. 5.

131.

Neque est controversia de fide sumpta 3. pro *instrumentis facientibus fidem, seu probationem rei*; quo in sensu accipitur sæpe in jure plurimis in titulis *de fide instrumentorum*; neque sumpta 4. pro *gratia gratis data*, quæ vel est fiducia ad patranda miracula, vel donum ad proponendum appositè mysteria fidei, ita, ut à rudibus intelligi possint. Neque sumpta 5. pro *dono Spiritus Sancti* ad comprobendam fidem per media supra ordinarias regulas rectæ rationis, modò, quo Sancta Apollonia ad comprobendam fidem se se in flammam injecit, sed sumitur pro firmissimo rei assensu adhibito propter auctoritatem, & testimonium DEI loquentis, qui non alteri quidem motivo, sed per simplicem adhæSIONem immediatè innititur auctoritati DEI testificantis.

132.

Suppono 3. Objectum materiale Divinæ fidei esse duplex, alterum quidem proximum, & alterum remotum. Proximum est, quicquid est à DEO revelatum; remotum verò, quod non est à DEO revelatum; sed est vel reve-

landum, vel revelabile. Unde, si possibile sit decretum Divinum decernens se ipsum nunquam revelare, tale decretum non esset revelabile, atque adeo non esset objectum Divinæ fidei; neque proximum, neque remotum. Quare objectum materiale proximum fidei est illud, quod jam est denominatum ab actuali DEI revelatione; sicut enim effectus dici nequit productus à causalitate, quæ erit, sed ab illa duntaxat, quæ est, vel fuit, ita dici nequit revelatus à revelatione, quæ erit, vel quæ esset, sed ab illa, quæ est, vel fuit. Sic exercere non possumus actum obedientiæ propter præceptum merè possibile, vel futurum, sed tantum propter præceptum, quod est impositum. Quare attentius præstitus objecto; quia Deus potest illud revelare, licet possit esse opinativus, aut scientificus, non potest esse actus Divinæ fidei. Ex quo fit, perperam dixisse aliquos Recentiores, esse verum fidei Divinæ actum illum, quo quis assentiretur objecto; quia DEUS potest illud revelare. His præmissis

Maximè diviti sunt Authores circa objectum formale Divinæ fidei, omnes tamen hucusque excogitatæ sententiæ ad quatuor præcipuas classes facillè reduci possunt. Prima classis est eorum, qui omne objectum formale motivum negare videntur Divinæ fidei, hanc defendit Scotus in 3. dist. 23. quæst. 1. art. 2. licet eam problematicè tradat: nam, postquam hanc, & alteram sententiam exposuit, subiungit, *Eligētis partem, quam malueritis*. Gabriel autem ibidem quæst. 2. art. 1. & Ochamus quodlibet. 3. quæst. 2. eam probabilem reputant. Docet itaque hæc sententia, fidem ex sola apprehensione terminorum assentiri mysterijs revelatis; nam, licet istæ propositiones, [DEUS est trinus, Verbum Divinum est Incarnatum.] non sint ex terminis notæ, sed post quamcunque naturalem cognitionem terminorum maneat nobis neutra, id est neque veræ, neque falsæ, nihilominus habitus fidei, qui fidei lumen vocatur, supplet causalitatem terminorum, & intellectum determinat ad assensum immediatum rei per se obscuræ; sicut determinat ad assensum ejusdem revelationis quantumvis obscuræ.

Habitus enim, ajunt illi Auctores, est pensio, pondus, & inclinatio potentiæ ad assentiendum objecto, cui finaliter habitu potentia inclinata non erit, neque assentiri poterat. Sic propositio nobis nota ex terminis, sed obscure ex repetitione actuum, qua habitus intenditur, fit clarè ex terminis nota. Ad hanc classem reducitur sententia Sughelmi Patiensis lib. de fide, & legibus non longè à principio docentis, actum fidei nullum habere motivum ex parte intellectus, sed solum ex parte voluntatis; nam, ut ille ait, non credimus; quia Deus verax est, quod pertinet ad motivum intellectus; sed quia Supremus Dominus est, quod spectat ad perfectam obedientiam voluntatis. Ratio ejus est, quia, si crederemus Deo propter ejus veritatem, jam crederemus ex dilectio-

su, & ratione nostra, & non ex simplici fide.

135. Secunda classis est eorum, qui admittunt ob-
jectum formale, seu motivum fidei ex parte in-
tellectus, non tamen consistens in aliquo præ-
dicato Divino, sed in evidentia rerum in se ip-
sif, sive immediata, ex ipsa scilicet termino-
rum apprehensione, sive mediata, nempe per
discursum habitam; sic sentiunt plures Manichæi,
de quibus Div. Augustin. libro de utilitate cre-
dendi cap. 1. refert, eos docuisse, nihil cre-
dendum esse, nisi quod humana ratione asse-
qui possumus, eundemque errorem Sanct. Bern-
ardus Epistola 190. ad Innocentium tribuit A-
bailardo, multique ex modernis Hæreticis ip-
sum mordicus defendunt.

136. Tertia classis est eorum, qui pro objecto for-
mali fidei assignant aliquid Divinum, quos in-
rer est magna dissensio; nam aliqui assi-
gnant Deitatem, ut contradistinctam à sapien-
tia, & veracitate. Ita Aureolus in prologo de
unitate Theologiæ art. 3. cui favet Ripalda di-
sputat. 2. de fide sect. 11. Alij primam verita-
tem in cognoscendo, ut contradistinctam à ve-
racitate in dicendo; ita plures cum Valentia
tom. 3. disp. 1. quæst. 1. sub §. difficultatum
quarundam. Alij econtra assignant veritatem,
seu veracitatem in dicendo, non autem in co-
gnoscendo. Ita plures cum Cajet. 2. 2. q. 1.
art. 1. qui etiam excludunt cum Esparza, &
Gonnetto revelationem externam, solumque
admittunt internam pro objecto formali Divi-
næ fidei; at de revelatione creata, seu externa
redibit postea sermo; quæstio enim præsens so-
lum est de objecto formali Divino circa quod.
Quarta classis est eorum, qui illud reponunt in
ratione primæ veritatis in cognoscendo, simul-
que in ratione primæ veritatis, seu veracitatis
in dicendo. Ita communiter Nostri cum Exi-
mio Doct. disp. 3. de fide sect. 4.

SECTIO II.

Impugnantur sententiæ oppositæ.

137. **A**Ssero 1. contra primam Authorum classem.
Actus Divinæ fidei circa objecta revelata
habet ex parte objecti motivum assentiendi;
ita, ut neque ab habitu, neque à præcepto Divi-
no suppleri possit, determinandò intellectum ad
eliciendum actum Divinæ fidei circa objecta re-
velata absque ullo respectu ad Divinum testi-
monium, quod moveat ad talem assensum. Pro-
batur 1. ex testimonijs Sacræ Scripturæ passim
obviis, exigentibus à nobis fidem, jubendò nos
credere mysteria, quia DEUS ea revelavit,
& propter summam ejus veracitatem, ut con-
stat ex testimonijs adductis num. 63. Ut enim
Scriptura nos excitet ad supernaturaliter, firmi-
ter, & absque hæsitacione credendum, propo-
nit ita motivum fidei; *Spiritus est, qui testi-
ficatur, quoniam Christus est veritas*: & subdit:
*Si testimonium hominum accipitis, testimonium
Dei majus est, quoniam hoc est testimonium Dei,*

quod majus est; ergo est contra Scripturam ad-
mittere actum supernum Divinæ fidei, quo fidei
mysteria credamus absque respectu ad Divi-
num testimonium nos movens tanquam obje-
ctum formale Divinæ fidei.

Confirmatur 1. ex Paul. 1. ad Thesalonicen-
ses 2. eorum fidem ita explicante: *Accepistis
illud non ut verbum hominum, sed ut verè est ver-
bum Dei*; & ex 1. Joannis 5. *Qui credit in Fi-
lium Dei, habet testimonium Dei in se*; Unde
Ambrosius lib. 2. Epistola 12. ad Valentinia-
num, *Cæli mysterium doceat me Deus ipse, qui
condidit, non homo, qui Deum ignoravit, cui
magis de Deo, quàm deo credam*; & August. lib.
de Spiritu, & littera cap. 32. *Non dubium est,
illam fidem ab Apostolo commendari, qua credi-
ditur Deo*; sed hæc omnia, ut expendenti con-
stabit, manifestè significant infallibile DEI
testimonium esse motivum, & quidem insup-
plebile Divinæ fidei; ergo &c. Confirmatur
2. ex illo Christi Joannis 15. *Si non venissem, &
locutus eis non fuisset, peccatum non haberent:
nunc autem excusationem non habent de peccato
suo*: sic etiam cap. 18. subdit: *Ad hoc veni in
mundum, ut testimonium perhibeam veritati*; qui-
bus ex verbis clarè consequitur, Deum ut te-
stificans esse objectum formale Divinæ fidei;
ergo &c.

Probatur 2. Sicut objectum voluntatis est
bonum; ita objectum intellectus est verum; er-
go, sicut voluntas nihil potest amare, nisi pro-
pter motivum bonitatis, quæ apparet; ita in-
tellectus nulli objecto poterit assentiri, nisi ap-
pareat verum, vel immediatè, & in se, vel me-
diatè, & in alio, quòd cum illo habeat conne-
xionem; atqui propositiones istæ, [Deus est tri-
nus, Verbum est Incarnatum]; adhuc supposito
habitu fidei apparent neutræ, & non potius ve-
ræ, quàm falsæ, ut patet in illo, qui baptizatus
fuit in infantia, & accedit ad usum rationis, quin
audièrit quidquam de fide; ergo non potest in-
tellectus illis immediatè assentiri; sicuti neque
assentiri potest huic propositioni, [astra sunt pa-
ria], sed quòd ex apprehensione terminorum ma-
neat neutra; uude ad assensum fidei, qui myste-
riis illis adhibetur, necesse est, ut ea mysteria
appareant vera in testimonio DEI infallibili
revelante, quod est objectum formale insupple-
bile Divinæ fidei. Confirmatur 1. & præoccu-
patur Adversariorum responsio; voluntas non
solum naturaliter, verum neque supernaturali-
ter instructa habitu charitatis potest amare,
quod non repræsentatur ut bonum; ergo intel-
lectus non solum naturaliter, verum neque su-
pernaturaliter instructus habitu fidei poterit as-
firmare objectum, quòd non appareat, ut ve-
rum.

Confirmatur 2. Licet propositiones illæ ali-
oquin neutræ possint per illustrationem Spiri-
tus Sancti, apparere ex apprehensione termino-
rum non quidem neutræ, sed veræ, lumen il-
lud supernaturale non esset proprium habitus fi-
dei, sed luminis gloriæ, aut scientiæ infusæ, ac-
que